

ri sub poena xxv. flor. auri eandem poenam imponendo singulis facere debentibus si non fecerint, & maxime si fuerint negligentes in faciendo fieri sub poena ipsi Potestati, vel Vicario negligentis x. lib. denariorum.

FINIS.



Ac aditali lege decernimus quod Potestas nostri communis, & ejus Vicarius, qui sunt, & qui erunt in possessione officii nostri communis, & quilibet ipsorum eo ipso quod quasi possessione, & nomine dum officii potiuntur, & hujusmodi officia gerere reputantur habeat, & habere intelligatur plenam, & efficacem jurisdictionem, quam habet, & habere consuevit nostrum comune in omnibus, & singulis causis, & casibus civilibus, criminalibus, & mistis, vertentibus, & occurrentibus coram eis, vel altero ipsorum, & eorum curia in Terra Montis Sancti, & ejus districtu pro toto tempore singulorum sex mensium, pro quibus electi, vocati, & deputati, vel constituti fuerint; & potestatem habeant conveniendi, cogendi, multandi, puniendi, pronunciandi, absolvendi, condemnandi, & decidendi, & omnia alia, & singula faciendi secundum formam Statutorum, & ordinamentorum nostri communis Montis Sancti, prout & tanquam veri, & ordinarii Judices, & Rectores dicti communis, & hominum Montis Sancti, & prout alii nostri Potestates, & Judices, & quilibet ipsorum facere consueverint, & potuerunt, & expedita gesta, & acta per eos, vel alterum ipsorum, vel coram eis secundum formam nostrorum Statutorum, & juris, valeant, teneant, obseruentur, & exequutioni mandentur per omnia. Qui Potestas, vel Judex ex debito eorum officii vinculo juramenti, & poena C. solid. denar. pro quolibet ipsorum de eorum salariis qualibet die juridica, & non fériata per formam alicujus nostri ordinamenti sedere ad bancum juris consuetum dicti communis logie, vel palatii bis in die, videlicet si opus, vel consuetudo fuerit de mane tempestive, usque post tertias, & de sero post nonam usque post vesperas ad jus reddendum civilibus, & criminalibus causis, & aliis in eorum curia vertentibus ad petitionem omnium, & singulorum coram eis, vel eorum curia, & foro nostri communis causare volentium, & debentium, & nihilominus aliis horis comparentes exaudient, & benigne tractent, ut juris, & moris, est non offendendo alias personas justitia, nec comune in juribus suis, de qua sessione ad bancum in speciali quarto per manus alicujus Notarii bancho facient fieri singulis diebus specialem scripturam continentem diem, & horam sessionis idest si de mane, vel de sero, vel etiam si non sederint faciat per similem

## L I B E R

74 scripturam , & librum commemorari exprimendo causam ferie , vel aliam , quare ad banchum non sederint videlicet sic — Die tali Dominus Potestas , vel Judex sedet ad banchum logiae , vel palatii de mane . Item dicto die sedit de sero , vel die tali , sive hora non sedit propter talem feriam , vel causam &c. Et quibus ex Notariis banchae teneatur eis specialiter ad hoc obedire , quem librum in fine officii Potestati , vel Judici per inventarium restituant una cum aliis libris ita quod semper petere possit sedere ad banchum factum , vel omnissimum , & non præjudicet si diversis Notariorum manibus scriptus fuerit . Notarii autem ipsorum eorum officia bene , & diligenter exercitant videlicet unus mallia cum omnibus ad ipsum officium spectantibus , & aliis extraordinaria cum omnibus pertinentibus ad illud officium , & semper dictis horis ad dictum banchum una cum Potestate , vel Judice sedere teneantur ad pedes , nisi juxta causa fuerint impediti , & actorum , & processuum copias exhibere teneantur ad petitionem partium aliis ad scribendum ipsi autem copias scribere non possint xl. sol. denar. de eorum salario pro quolibet contrafactis in aliquo prædictorum , & qualibet vice .

### De officio Notariorum banchae civilium .

#### C A P. II.

**A**D officium banchae civilium deputentur Notarii singuli sex mensibus in tempore cujuslibet Potestatis intrantis de numero , & matricula Notariorum Montis Sancti per Priorem Collegii dictæ matriculae , dum tamen idem Notarii non successive reformentur pro se , vel loco alterius , sed alii deputentur de novo . Qui Notarii singulis diebus juridicis cum eorum libris , & actis de mane tempestive , & inde sero post nonas debeant personaliter se conferre ad Palatium , & ibi facere pulsare campanam juris , & ea pulsata recipere , & scribere rationes , sive cartutias ad petitionem actoris continentis nomen actoris rei , & bajuli , atque relationem citationis , & ubi , & quando citatio facta fuerit , & quidquid actor sub brevitate petat , vel intendat petere contra reum , & pro qualibet dictarum cartutarum recipere possint Notarii ab actorे quatuor denuntiantur . Quibus cartutis receptis statim Potestatem , vel Judicem incipientem sedere faciant , & pulsare eandem campanam , videlicet Pa-

latii

## SECUNDUS.

75

Iatii communis pro contumacibus , & Judex si mox requisitus fuerit ab aliquo dictorum Notariorum die juridica de mane tempestive teneatur sedere , poena C. solid. denar. de suo salario , nisi juxta , & evidenti causa fuerit impeditus , & dicti Notarii summo mane venire , & predicta facere teneantur poena v. solid. si tarde venerint , & x. solid. si venire ommiserint pro quolibet ipsorum , & qualibet vice . Deinde Judice adveniente , & facta dicta pulsatione pro contumacibus expediantur singulæ cartutiæ , ut juris fuerit . Et dicti Notarii teneantur omnia acta Judicis , & partium emergentia in causis debeant in ipsis cartutiis breviter annotare , & cartutias in filza ponere , & demum in ordinatis quaternis latius , ut decet , & extense per ordinem ponere , & redigere , poena x. sol. pro quolibet actu omisso in causa extraordinaria , & in causa ordinaria xx. sol. denar. Quaternos autem , & libros actorum prædictos teneantur , & debeant in fine eorum officii infra decem dies reassignare in comuni , & ibi semper maneant , & volentibus fiat copia publicationis coram Confalonero , & Prioribus , Cancellario , & Massario poena decem libr. denar. Qui Notarii dum Potestas fuerit ad acta semper intelligantur fuisse rogari ita quod scribere , & publicare possint , & eorum publica scripta valeant ad probatum pleno jure , & de eorum libris , & actis , sive scripturis publicis , vel non publicis nulla copia per aliquem sumi , vel exemplari possit , nisi per eosmet , vel de voluntate ipsorum ipsis viventibus , & non absentibus extra Terram , vel ejus districtum . Possint tamen per nostrum regimen cogi ad volendum , recepta competenti mercede , arbitrio regiminis , ex propriis matriculis , & dum præcise recusaretur renuendo , vel non comparendo , sufficiat bona monitio per regimen ad petitionem partis inde facta , & in scriptis redacta , quibus casibus etiam per alios copia summi possit impune . Solutiones autem scripturarum in causis non aliter fiant quam prout cavetur in speciali Statuto infra sub capitulo de solutionibus , & salariis &c. Abstineant dicti Notarii eorum durante officio ne procurationis , vel defensionis alicujus personæ in agendo , vel defendendo , faciant , vel assumant præter causas eorum proprias , vel parentum , vel fratriis , aut sororis carnalis , aut nepotis carnalis , vel filiorum priorum , & præter causas usorum , atque causas , quas exercent tutorio , vel curatorio nomine curiæ generalis , pena contrafacientibus qualibet vice xl. sol. den. & quod secus fuerit comparendo , non valeat ,

G 2

D

L I B E R

76.

*De in jus vocando in civilibus causis.*

C A P. III.

**Q**uoniam ab in jus vocando judicia sumunt exordium, statuimus quod Bajuli, & Tubatores communis possint ad cujuscumque petitionem in causis civilibus citare quoscumque, & ipsorum citationem in causa procedi possit, etian si de commissione non constet, immo auctoritate praesentis Statuti sit, & intelligatur omnibus, & singulis supradictis officiis citationis esse comissum, ubi certa, & specialis forma data non est, & dummodo citationes faciant secundum infrascriptam formam videlicet quod citent de sero pro mane proxime sequenti, vel eoipso personaliter. Si autem ad petitionem alicujus haeres cujuscumque vocaretur, aut citaretur sub isto appellativo nomine haeres super tali citatione fiat commissio per regimen, & officiale habentem auctoritatem committendi, & commissio in scriptis appareat, & bajulus cui commissio facta fuerit portet cedulam continentem formam citationis, quam cedulam facta proclamatione ad domum defuncti contra cuius haeredem deberet, vel intenderetur agi, dimisstat infixam in ostio habitationis domus defuncti tempore mortis, ita quod verisimiliter possit legi a quocumque volenti, & haec forma servetur, & locum habeat tantum in prima citatione, quae fieret in exordio cause; & in alia citatione, quae fieret ad secundam diffinitivam audiencentiam; & in adjudicacione, quae fieret ex secundo decreto. In aliis autem citationibus, quae de haeredibus fieret in medio cause, vel ad alios actus, possit citatione fieri, & valeat simpliciter facere secundum formam supra traditam in principio hujus ordinamenti de citationibus, quae fierent proprio, & expresso nomine. Quod si persona citanda non habet locum, vel domicilium habitationis in Terra Montis Sancti, tunc citatio fiat hoc modo videlicet, quod sono tubae praemissa precedente commissione Judicis, vel officialis proclametur per aliquem banditorem, vel bajulum communis in scalis Palatii nostri communis, & aliis locis dictae Terrae consuetis exprimendo ad cuius petitionem fiat citatio, & qua causa, ad quem actum idem servetur in quocumque forense citando, qui non habitaret in Terra Montis Sancti vel ibident domum, vel locum propriæ habitationis non haberet,

SECUNDUS.

77

ret, & aliter facta citatio, quam modis predictis ipso jure, & facto sit nulla, nec super ea procedi possit. Et si procederetur non valeat ullo modo. Citationes autem factæ in singulis secundum traditionem superioris formam tam de haeredibus, & de forensibus, & aliis valeant, & legitime factæ intelligantur, & ex his procedi possit dum tamen in citatione, seu commissione citationis haeredum, & forensium statuatur citatio termino duorum dierum ad minus, & plurimum si Judici videbitur, considerata distantia loci in quo habitaret persona citanda. Et teneatur quilibet Tubator, & Bajulus citationes, quas fecerint ad petitionem eorum pro quibus citaverint saltim in terminis citationis, vel ante referre, qui si non citaverint, vel non referrent ad citationem partis solvat bannum v. sol. de facto pro qualibet vice, quam contrafecerit, & stetur Sacramento conquerentis, quam Rector, vel officialis moderate possit, prout ei videbitur facti, & persona qualibet pensata.

*De modo procedendi contra contumaces.*

C A P. IV.

**F**Acta citatione, & ejus relatione juxta supradictam formam, si videlicet pars actoris non comparuerit, Judice pro Tribunalis sedente, reo comparente, & petente, solvat bannum duorum solid. xxii. denariorum pro interesse solvere teneatur reo, seu adversario citato, & reus citatus, & licentiatus recedat, & contra eum ulterioris non audiatur actor, nisi refectis expensis a Judice taxandis, & soluto interesse predicto, si vero reus citatus ad respondendum aliquibus preparatoriis alicujus futuri judicii inter ipsum, & actorem non comparuerit, sed contumax fuerit, in prima citatione verborenum facta, & tunc ad petitionem agentis solvat bannum xii. denar. iterum citetur denuo pro secunda citatione in scriptis cum termino duorum dierum. In qua citatione inseratur tenor dictorum preparatoriorum quibus responderi velit actor per ipsum reum, qui etiam si contumax fuerit ex tunc habeatur pro confessu, vel negante prout utilius fuerit ipsi actori ad futurum judicium cum ipso reo agendum. Si autem reus citatus est, ut sibi mandetur, vel condemnetur per regimen, vel compellatur ad aliquid faciendum ipsi actori, vel cum ipso actore, aut ut ei aliquid restituat, & ipse reus contumax

G 3

max fuerit in prima citatione. Si quidem aliud quod fieri, aut restituui petitur est tale simile, ut puta quod Notarius rogatus in aliquo Instrumento illud redigat in publicam formam, & ipsi actori pro competente mercede det, seu restituat, vel qui in præteriri reddat rationem gestorum ipsi actori, vel secum calculet rationem de gestis, aut datis, aut receptis hinc inde, vel quod ipsi actori restituat reus rei sibi commodatam, aut apud se depositam, & tunc simili modo de novo iterum citetur reus in scriptis cum tenore petitionis in qua etiam citatione assignetur terminus ipsi reo duorum dierum ad comparendum, & se defendendum, si de petitis sic per actorem senserit se gravatum, & si non faciat quid petitur per actorem infra terminum competentem in ipsa citatione; etiam arbitrio Judicis statuendum sub pena v. libr. den. comuni applicanda, & de facto exigenda si ipsi actori in dicto termino reus non satisfecerit. Et nihilo minus dictus reus in contumacia perseveraverit de facto compellatur per regimen manu militari captis pignoribus, & mulcta indicta quod petitur per actorem facere, vel restituere. Quod si petitur fieri à reo contumace per actorem etiam tale, vel simile; videlicet quod reus praedictus faciat aliquod haedificium, ut puta domum, vel simile, aut aliud laborerium rurale, vel artificiale, & tunc simili modo pro secunda citatione citetur in scriptis cum tenore petitionis, & inseratur quantitas damni, & interesse in quam dicit se incursum, & incursum actore. Si non fiat quod petit in qua citatione assignetur terminus trium dierum ipsi reo ad comparendum, & se defendendum si de sic petitis per actorem senserit se gravatum, & si non faciat quod petitur per ipsum actorem infra terminum competentem arbitrio Judicis assignandum in ipsa citatione, facti qualitate pensata quod si dictus reus non comparuerit in primo termino, nec fecerit quod petitum fuerit infra secundum, compellatur de facto per regimen realiter, & personaliter dictam quantitatem damni, & interesse solvere ipsi actori; salvo tamen, & reservato ipsi reo legitima excusatione, vel si satisfecerit pro parte, quo casu faciat diminutio dictæ quantitatis damni, & interesse. Volumus tamen si comparuerit ipse reus in termino sibi assignato expensis, & interesse praedictis lis suo marte discurrat praedictis, quocumque Statuto, vel jure non obstantibus. Si vero contra reum citatum contumacem pro prima actor petierit exequutionem alicujus instrumenti, sententiæ, laudi, arbitriamenti, præcepti, vel alicujus scripture in publica forma Stati

tuti positi infra sub capitulo de exequutione instrumentorum. Si vero reus, vel rea citatus, vel citata super personali, vel reali actione non comparuerit, & contumax fuerit in prima citatione ad petitionem agentis solvat bannum xii. den. & iterum de novo citetur pro secunda citatione, in qua si contumax fuerit, & non comparuerit tunc pronunciatione Judicis ad petitionem agentis accusantis contumaciam ejus, mittatur agens per aliquem exequutorum, & bajulum communis, cui per Judicem executio specialiter sit commissa in tenutam, & possessionem honorum contumacis pro mensura debiti declarati, & expensis factis, & faciendis; primo mobilium, secundo immobilium, tertio nominum. Ubi autem actum esset, vel ageretur reali actione simili modo mittatur in possessione rei petitæ semper ante ipsam pronunciationem solutis capitibus solidorum in quolibet casuum praedictorum sex denar. per libram semper iudicis pronunciatione praestito Sacramento per agentem, quando animo calunia non petat, & quando de reo quod petit in toto, vel in partem, ei non extitit satisfactum. Et si actor capita sol. non solverit, ut dictum est, & Sacramentum praedictum non praestitit, pronunciatione facta non valeat. Salvo, & excepto quod possit, & valeat pronunciationi, reum non comparentem fore contumacem, & contra ipsum tanquam contumacem debere procedi, & in omni pronunciatione detur per Judicem executor, qui pronunciationem exequatur. Facta autem, ut supra dictum est pronunciatione contumacia, & tenetæ semper fiat per Judicem ex officio, vel ad petitionem agentis specialis commissio alicui, ex bajulis communis, vel nuncijis, aut etiam alicui tubatori, qui pronunciationem factam notifiet contumaci personaliter, vel ad domum habitationis contumacis cum cedula continente formam, & tenorem pronunciationis factæ, & causam quare pronunciatione facta sit, & qui proclamet ad domum habitationis contumacis, vicinis verisimiliter audentibus dicendo qualiter contra ipsum pronunciationem est in forma, quæ cedula commissionis continetur, quam cedulam bajulus, seu nuncius assignet alicui ex habitationibus ipsam domum, vel saltim dimittat infixam in ostio ipsius domus, si in ea aliquem non invenerit habitantem, & de praedictis stetur relationi bajuli, vel nuncii, vel exequitoris, qui exequutioni mandavet si quæstio fuerit x. libr., vel infra. In majori autem quantitate x. lib. Notarius causæ de pronunciatione rogatus ad petitionem actoris una cum bajulo, vel nuncio, vel exequitore

tore ire teneatur, & se præsente, faciat dictam notificationem fieri, vel cedula affigi in ostio, ut dictum est, & de prædictis facere se rogari, & ea in scriptis redigere in actis, qui Notarius pro suo salario, & labore de dicto actu habeat duos solid. den. Et si pars contra pronunciatio facta esset domum in Terra Montis Sancti non haberet tempore pronunciationis, & notificationis facienda fiat notificatio facta pronunciationis, non aliter quam proclamationem tubatoris communis in scalis Palatii communis, qualiter contra talem est pronunciatum ad petitionem talis in tanta quantitate, vel tali re, vel ex tali causa ita quod in proclamatione hujusmodi tenor explicitur. Et modo prædicto notificationibus factis quinque dierum terminus currat, & eo decurso ad exequitionem pronunciationis procedatur, aliter exequutio, vel alio modo facta notificatio non valeat, & terminus refectionis expensarum non currat, quæ quidem exequutio facta per exequutorem Judici, & Notario actorum ad petitionem agentis ad poenam v. sol. den. & per Notarium causæ talis relatio reducatur in actis.

*Qualiter tenuta recuperetur, & vel adjudicetur.*

### C A P. V.

**L**iceat debitoribus in personali actione recuperare tenutam de bonis ejus creditor, seu creditrici datam infra x. dies post notificationem sibi factam, ut supra dictum est, & in forma prædicta computandos refectis primo expensis, vel saltim depositos infra dictos x. dies, tunc causa principalis suo marte decurrat, & in ea secundum ordinem juris procedatur, & si infra dictum tempus suam contumaciam non purgaverit, ex tunc ipsa pronunciatione, & tenuta remaneat firma, & contra eam nihil possit opponi: immo ad exequitionem ipsius procedatur ordine infrascripto videlicet quod tenuta, vel pignus per exequutorem assignatum, seu assignatam creditori pro debito à xxx. sol. supra remaneat poenes debitorem per xxx. dies, & à xx. sol. infra remaneat poenes eundem xv. dies. Quibus elapsis, & creditore non soluto, vel satisfacto, tenuta, vel pignus detur poenes creditorem, & ipse creditor possit ipsam vendere plus offerenti semper tamen cum licentia Judicis, & cum præsentia duorum ex extimatoribus communis, factis tribus subhastationibus per in-

ter-

### SECUNDUS.

81

tervalla dierum in scalis Palatii communis publica, & alta voce sono tubæ præmisso, & semper emptores, seu emptor talis tenutæ, vel pignoris defendatur à comuni, & etiam ipsi venditores in ipsa tenuta. Quæ tenuta, seu pignus si, ut dictum est vendi non possit, tunc per extimatorum communis, vel maiorem partem eorum extimeatur statim quorum extimationem Judge creditori, seu actori adjudicet in solutum, & si extimatio facta concurred cum quantitate debiti, & expen. intelligatur facta compensatio de debito, & expen. cum ipsa tenuta adjudicata. Si autem extimatio excederet debiti quantitatem, & divisionem pateretur: tunc detur creditori pro mensura debiti, & superfluum debitori dimittatur, vel restituatur. Si vero divisionem non pateretur recipere eam creditor teneatur secundum extimationem factam, ut supra, & quod supererit à debito, & expen. debitori creditor solvere cogatur ad ipsius debitoris petitionem. Si vero creditor deficeret ad debitum, & expensas, tunc debitor quod defuerat supplere cogatur. In reali autem liceat reo contumaciam suam purgare, & expensis refectis, vel ut supra depositis audientia in principali causa mereti, & pronunciationem facere cassari, & nullam decerni iusta usum mensuram à die notificationis, ut supra facta de pronunciatione, & tenuta computandum, quo mense elapsi, tunc statim actor efficiatur rei petita verus possessor, & super possessionem ipsius rei ulterius feus non audiatur.

### *De exequitione instrumentorum.*

### C A P. VI.

**U**bi peteretur exequutio instrumenti, præcepti, sententia, laudi, sive arbitrii, vel ultimæ voluntatis redacti, seu redactæ in publicam formam manu publici Notarii fiat exequutio modo, & ordine infrascripto videlicet quod debitum citetur ad petitionem partis, etiam summæ speciali commissione Judicis per aliquem ex bajulis, vel tubatoribus communis; ut veniat ad videndum productionem instrumenti, seu alterius scripturæ productæ: & ad opponendum contra ipsum, vel ipsam quicquid vult, & potest, secundum formam præsentis Statuti: qua citatione facta, & ejus relatione scripta in actis, compareat actor in termino citationis, & præsente reo, vel legitima persona pro ea si comparuerit producatur coram Judice, instru-

instrumentum, sententiam, præceptum, laudum, arbitrium, si-  
ve arbitramentum, vel ultimam voluntatem publicum, seu publi-  
cam, vel alterum, vel alteram earumdem, & pétat exequitioni  
mandari contenta in eo, seu ea contra debitorem; qua productio-  
ne, & petitione, ut dictum est verbotenus facta, tunc Judex sta-  
tim sine aliqua alia petitione, vel libello, & absque omni alia juris,  
& judicij solemnitate summatim statuat prædicti rei, sive debitoris  
terminum quinque dictum ab ipsa die productionis computandum  
ad accipendum copiam ipsius instrumenti, seu scripturæ productæ,  
& opponendum contra ipsum, vel eam exceptiones inferius annota-  
tas, vel aliquam ipsarum ei competentem videlicet falsitatis solu-  
tis, quietationis, pactum de ulterius non petendo, vel agendo,  
nullitatis, præscriptionis x. annorum facti, vel simulati contractus,  
aut etiam usuarium, quorum quilibet valeat, & possit opponere  
debitor, sive reus, & probare infra x. dies à Judice statuendos. Qui-  
bus elapsis siquidem reus, sive debitor defecerit in probatione oppo-  
nitarum exceptionum cogatur ad petitionem creditoris per Judicem  
realiter, & personaliter ad dandum, vel faciendum id quod in in-  
strumento, vel scriptura producta sive productio continetur, & in  
eam fiat exequutio in quantitate, vel repetita, & a x. constrin-  
gendo eum personaliter, vel dando de bonis ejus tenuta, vel pigno-  
ra, quorum viarum exequutionis una electa, altera non tollatur:  
immo semper ad alteram possit redire propter maluerit creditor. Et si  
debitor esset, non solvendo ponatur in carceribus ad petitionem credi-  
toris, nisi præstaret idoneos fidejussiones de non discedendo de Pal-  
atio, usque quo suo creditori integraliter satisficerit. Alias autem ex-  
ceptiones, quam prædictas nemo contra prædictam, vel aliquod  
prædictorum possit opponere, & opponens, & probare volens non  
audiatur quin immo, ut dictum est exequutio fiat exceptione alia  
non obstante. Volumus tamen quod exceptionem falsitatis opponens  
non aliter admittatur, quam nisi primo idoneam fidejussionem præ-  
stiterit apud acta de probando ipsam exceptionem in tempore x. die-  
rum supradicto, & de solvendo comuni de facto L. lib. denar. sine  
aliqua condemnatione, vel processu, si in ipsius exceptionis proba-  
tione defecerit, qua non probata in dicto termino, tam principalis,  
quam fidejusso ad solutionem dictæ pœna L. lib. per regimen com-  
pellatur. Exceptiones autem præscriptionis prædictam haberi, & de-  
putari volumus pro probata eo ipso, quod in instrumento, vel scri-  
ptura

ptura producta, sive producto apparet dictum tempus x. annorum  
esse decursum, nisi per actorem, sive creditotem temporis interru-  
ptio legitima probaretur in tempore à Judice statuendo non longiori  
viii. dierum, vel nisi esset talis persona, cui de jure talis præscriptio  
currere non debuerit. Usurarum attem exceptionem probari suffi-  
ciat, & volumus probatam intelligi eo ipso quod probatum fuerit à  
debitore suum creditorē publicum usurarium fuisse, vel publicas fe-  
cisse usuras, vel quam publica fama de hoc esset. Addicimus quod  
dictis exceptionibus, vel alicui earum renunciari non possit, & si  
renunciaretur non valeat renunciatio ipso jure: immo semper audi-  
tur opponens, & probans, ut dictum est renunciatione aliqua non  
obstante. Probatis exceptionibus falsitatis, & nullitatis, aut præ-  
scriptionis prædictæ non interruptæ, vel etiam solutionis, in totum,  
vel integræ satisfactionis, & quietationis legitimæ, tunc Judex pu-  
blicato processu, & termino opponendi elapso, pronunciet ad peti-  
tionem debitoris, sive rei instrumentum productum, sive scriptu-  
ram non esse exequutioni mandandum obstante exceptione probata,  
reumque absolvat, & actorem in expensis reservata taxatione con-  
demnet, quo facto actor, sive creditor de cetero in codem instru-  
mento, vel scriptura nullatenus audiatur, nisi quietatio, solutio,  
vel satisfactio fuisset de parte tamen, & non de toto, quo casu in  
petitione, & exequutione residui audiatut ex eadem instantia admittatur,  
& Judex, ut dictum est exequatur. A probatis exceptioni-  
bus usurarum, ut dictum est, & facti, & simulati contractus, vel  
aliquo ipsorum, tunc Judex ad petitionem rei, sive debitoris pu-  
blicato processu, & termino opponendi elapso, cogat, & cogere pos-  
sit, & debeat pœna xxv. lib. denar. de suo salario creditotem, sive  
actorem ad quod confitendum veritatem facti, sortis, sive rei ge-  
stæ, vel conventæ, aut promissæ, seu etiam numeratæ, non ob-  
stante, quod instrumento, vel scriptura producta plus, vel aliter  
continetur. Qui actor, sive creditor de mandato Jūdiciis teneatur,  
& debeat infra tres dies proximæ sequituras dictam veritatem confi-  
teri, quam si confessus in dicto termino non fuerit, tunc simili mo-  
do Judex ad petitionem rei, sive debitoris pronunciet exequutionem  
non esse faciendam de dicto instrumento, sive scriptura, & ipsum  
in expensis condemnnet, ut dictum est, & simili modo cogat, &  
cogere possit reum, sive debitorem non obstante exceptione probata,  
qui debitor, & etiam ipse teneatur in dicto termino veritatem con-  
fitteri

fiteri aliquoquin in exceptione audiatur. Veritate autem comperta tunc in ipsa facti, sive rei veritate, & in ipsa vera quantitate ad petitionem actoris, ex eadem instantia fiat per Judicem exequutio realiter, & personaliter, ut dictum est, & de reliquo reum petentem declareret Judex absolutum expensis hinc inde compensandis. Reo vero siue debitore ad dictam citationem non comparente legitime tunc facta productione per partem actoris, sive creditoris simile statuat terminum ad accipendum copiam, & opponendum contra instrumentum, sententiam, præceptum, laudum, arbitrium, sive arbitramentum, aut ultimam voluntatem, & ipsa productio, & terminus ex commissione Judicis notificantur reo, seu debitori juxta formam traditam supra in Statuto posito sub capitulo de modo procedendi contra contumaces. Qua notificatione facta, & relata reo, sive debitori in dicto termino non opponenti aliquam de dictis exceptionibus, ut dictum est non valentem exequutionem impedire; tunc ad petitionem actoris, seu creditoris ex ipsa contumacia non comparandi, & non opponendi pronuncietur per Judicem secundum formam instrumenti, & ipsum instrumentum, sive scriptura exequutioni mandetur per dationem, & acceptio pignoris, vel tenutæ bonorum debitoris, primo mobilium, secundo immobilium. Ab aliquo exequutore, vel nuncio communis specialemission habentem, cuius relatio scribatur in actis, & siquidem in contumacia rei ad petitionem actoris processum fuerit per Judicem, & ejus exequutorem, & dationem, seu acceptio pignoris, vel tenutæ notificatae, vel notificati, secundum formam dicti ordinamenti de modo procedendi contra contumaces, tunc liceat reo, sive debitori infra x. dies à die notificationis sibi factæ contumaciam suam purgare refectis legitimis expensis, vel saltim depositis, quas actor, ex virtute contumaciæ ipsius passus fuerit. Si autem reus notificatione sibi facta non restituerit, vel deposuerit, ut dictum est expens. infra x. dies prædictos, pronunciatio, & tenutæ datio, vel acceptio pignoris plenum sortiatur effectum, & quibuslibet remedii opportunis exequutioni mandetur per regimen nulla contraria exceptione audita, quinimmo si aliter creditori satisfactum non extiterit, tunc statim tenuta, vel pignus detur, & assignetur apud actorem, sive creditorem ad omnem ipsius petitionem, & per eum vendatur, vel ei per Judicem in solutum adjudicetur. Si vero comparuerit reus in dicto termino x. dierum, praesente, vel legitime citata parte actoris, & expens. refecerit, vel ut dictum

Etum est deposuerit: tunc Judex absque alia citatione, & productione instrumenti, & scripturæ jam facta absque alia notificatione statuat ad petitionem actoris reo terminum aliorum quinque dierum ad opponendum omnem sibi competentem exceptionem de prædictis, & probandum contra ipsum instrumentum, vel scripturam. In quo termino si non oppoluerit, vel probaverit, statim tarditate postposita cogatur reus personaliter, & realiter ad voluntatem creditoris ad observandum dandum, vel favendum quicquid iplius producti instrumenti, vel scripturæ serie promissum, vel conventum appetat, & ad satisfaciendum quantitatem jam factam, vel rem debitam, & expensas, & per electionem unius viæ similiter altera non tollatur in quolibet tamen casu exequutionum prædictarum, & in casu pronunciationis dictæ tenutæ, vel pignoris pars actoris tenetur, & debet ante ipsam pronunciationem, & exequutionem comuni capita solid. & eadem die facere ponere in introitu Camerarii de sex denar. per lib. extimationis, seu quantitatis rei facti, vel rei, quæ seu quod peteretur exequutioni mandari. Quæ capita solid. si obtinuerit actor reficiat ei expens. rei, sive debitoris una cum sorte, & Judex absque dicta solutione capitum sol. pronunciare, vel exequutioni mandare non possit, & si secus fecerit non valeat ullo modo. Executio facta secundum formam hujus ordinamenti valeat, & teneat, & sit firma nulla contrarietate obstante. Aliter autem facta exequutio sit irrita, vacua, & inanis.

*De exequutione privatae scripture, & de comparatione litterarum.*

## C A P. VII.

**S**criptura privata, quam scriptam fuisse manu propria debitoris constituerit Judici per confessum rei, sive debitoris, aut per duos testes idoneos de visu, aut per comparitione litterarum factam juxta formam inscriptam valeat, & teneat ad plenam probationem, & sufficiat sicut publicum instrumentum solemnitatibus, & substantiilibus juris vallatum, & observatum, & exequutioni mandetur per Judicem, seu regimen Montis Sancti ad petitionem creditoris, seu actoris iisdem modis, & formis per omnia in quolibet casu, sicut ipsum publicum instrumentum, ut plene cautum est supra in proximo Statuto, sive ordinamento præcedenti, non obstante quod in carta

carta papirii, vel etiam in carta rasa scripta esset, & non obstante teste scripti, & non subscripti, non continentur in ea, vel etiam quod deficeret locus factæ scripturæ, aut etiam in judicio dum tamen talis scriptura privata, de qua dictum est contineat saltim annum, mensem, & diem celebrati, initi, & facti actus in ipsa scriptura comprehensi, & contrahentium personas. Et dum tamen aliquis intellectus ex effectu, & forma ipsius scripturæ appareat, & comprehendendi possit alicujus promissionis, vel confessionis, vel solutionis, aut liberationis, aut obligationis, sive pacti, sive conventionis, aut numerationis, vel alterius cujuslibet probabilis actus contrahendi, præterquam actus donationis inter vivos, vel causa mortis, & testamenti, & codicilli, & alterius cujuslibet ultimæ voluntatis, & obligationis, & dedicationis bonorum, vel personæ alicujus, aut conversionis, in quibus proxime numeratis, & exceptuatis casibus præfens ordinamentum locum volumus non habere, sed in eis, & quilibet eorum remaneat talis privata scriptura in dispositione, robore, & effectu juris comunis. In aliis autem casibus non exceptuatis valeat, & effectum habeat supradictum, dummodo exceptiones obstantes contra exequutionem publici instrumenti per formam præcedenti Statuto obstant, & obstat, & impedire possint, & debeant; ipse, & quilibet ipsarum enumeratæ in ipso præcedenti Statuto non minus contra exequutionem privatæ scripturæ, quam contra ipsum publicum instrumentum, & eisdem modis, & formis, atque temporibus proponi debeant, & probari ut dictum est; non propositæ, & non probatæ obstatæ non valeant, nec exequutionem ipsius privatæ scripturæ jam dictæ impediri possint, vel in aliquo retardare. Declaramus tamen quod privata scriptura producenda per quemcumque Judeum, quæ diceretur scripta manu alicujus Christiani, & quæ contineret alicujus Christiani obligationē, vel debitum nulla pœnitus detur fides, nec ipsa modo aliquo exequutioni mandetur, & si mandaretur, vel aliquid fieret super ipsam ad petitionem Judei, vel sui Procuratoris, Nuncii, aut Cessionarii, non valeat ullo modo, vel jure; & officialis super, & contra hæc non procedat, nec procedi permittat pœna L. libr. denar. de suo salario nostro comuni applicanda. Comparitionem autem litterarum fiendam ad probationem dictæ scripturæ privatæ, nec non ad declarationem cujuslibet dubii occurritis de aliqua scriptura publica, vel privata, de qua dubitaretur, vel contentio, vel contradic̄tio foret, an scripta fuerit manu alicujus, vel non fieri volamus,

mus, & celebrari declaramus, non aliter quam modo inferius annotato videlicet  $\equiv$  Judex, seu regimen communis Montis Sancti ad petitionem ejus, qui, vel quæ scripturam in dubium revocatam produxerit, aut ipsa usus fuerit, vel uti voluerit in judicio, vel extra, ex speciali sua commissione per bajulum, sive nuncium nostri communis citari faciat, & requiri principales personas, inter quas dubium, contentio, vel contradic̄tio esset de tali scriptura, necnon Priorem Notariorum Monti Sancti cum quinque ex illis de matricula ipsorum Notariorum de prudentioribus, & magnis scientibus, & expertis de quibus visum fuerit ipsi Judici, qui compareat coram eo ad jurandum, & veritatem dicendum juxta eorum discretionem super his de quibus petiti fuerint ab eodem super tali dubio, seu contentione exorta, eosque ad comparendum compellat. Quibus comparentibus illam scripturam super qua vertitur dubium in præsentia Notarii banchæ civilium diligenter exhibeat, & assignet una cum aliis scripturis, vel scripta manu ejusdem, qui dicebatur scripsisse dictam scripturam in dubio revocatam, & eis mandet, ac eos in præsentia principaliū jurare faciat corporaliter ad Sancta Dei Evangelia tactis scripturis manibus, quam comparationem, & provisionem dictarum scripturarum, quam facturi sunt diligenter, fideliter, & sine fraude faciant, quibus juramentis præstitis cogat eosdem in absentia principalium ad providendum, ut dictas scripturas una cum reliqua, seu reliquis, & ipsarum comparitionem faciendam statim antequam recedant. Qua provisione, & comparitione facta ipse Judex examinet eosdem divisi, & singulariter quid invenerint, senserint, & quid credunt de scripturis prædictis, an ejusdem manu scriptæ videantur, vel non, & dicta, & declarationes eorum singulariter scribi faciat in actis manu dicti Notarii banchæ ipsaque dicta, & declarationes eorum publicet partibus præsentibus, vel saltim citatis absque quolibet alio termino opponendo. Illud autem quod dictum, & declaratum fuerit per majorem partem dictorum sex una cum ipso judice nostri communis in prædicta comparitione litterarum, vel circa eam an sint ejusdem manus, vel non, an scriptura in dubium revocata sit manus ejus, cuius per producentem, vel utentem dicebatur scripta esse, vel non, sic habeatur, intelligatur, & reputetur pro plenissima, certissima, & firmissima veritate; & convocatis principalibus ex officio, vel ad petitionem alicujus partis pronunciare possit, & debat Judex secundum dictam comparitionem, & declarationem, &

non aliter , & ipsam si qui teneatur possit , & debeat Judex non obstante defectu alterius solemnitatis juris communis , vel majoris probationis , & dignitatis , sive comparitionis litterarum nulla partium contradictione obstante , & ubi dicta declaratio , & pronuntiatio fuerit affirmata pro ipsa scriptura , judicio , vel credulitate majoris partis prædictorum simul concordantium ; tunc statim ipso jure , & facto ipsa scriptura , cui non obstatet aliqua prædictorum exceptionum oppositarum , & approbata , ut supra , sit , & esse intelligatur legitima , & fide digna , & etiam exequutioni mandanda , ut superius dictum est dum tamen contineat , & alia ut dictum est supra . E contra ubi majoris partis prædictorum declaratio fuerit negativa videlicet quod dicta scriptura non fuerit , vel non videtur fuisse ejusdem manu , vel ejus manu cujus dicebatur fuisse scriptura producta , seu producenda in dubium revocante statim ipso jure , & facto intelligatur , & reputetur inefficax , & non legitima , nec fide digna , aut exequutioni mandanda . Volamus tamen quod in unaquaque scriptura videlicet tam de ea , quæ comparatur , quam de ea , cui fit comparatio , stetur , & credatur dicto , & declarationi prædictorum , vel majoris partis una cum Judice , si is qui diceretur scripsisse , fuisse de Monte Sancto , vel conversatus ibidem , necnon si cum eis etiam alibi fuerit conversatus de qua conversatione stetur , & credatur juramento eorumdem , & etiamsi in præsentia eorum de novo scriperit aliquam scripturam , cui , seu cum qua possit , seu poterit comparatio fieri , & facta fuerit , qua de causa Judex possit , & debeat talem sribentem , sive scriptorem de cuius scriptura dubitaretur si viveret , & ibidem existeret compellere ad scribendum de novo . Et si alibi moraretur ad petitionem partis officium Judicis illius loci implorando possit , & debeat eum ad scribendum compellere , & etiam teneatur , & possit eum requirere , & compellere ad dicendum si talis scriptura fuit , seu est manu sua scripta , vel non . Qui si comparere , vel dicere recusaverit in termino competenti statuendo per Judicem ipso facto , & jure habeatur pro confesso , & convicto , & talis scriptura reputetur scripta manu ejus propria sine alia probatione , & contra eum possit , & debeat exequutioni mandare . Et nihilominus pro ipsa inobedientia , & reculacione puniatur de facto in lib. xxv. den. Si vero renuerit , vel negaverit , & fuerit reprobatus per comparitionem à prædictis dicto modo factam , aut etiam per testes , & de facto in L. lib. den.

pu-

puniatur per Judicem , & etiam ex officio siquidem pars adversa nuerit ipsam accusare , & nihilominus exequutio ipsius scripturæ fiat , & ei fides adhibetur , ut dictum est exequutio privatæ scripturæ , seu probatio ejus dicto modo celebratæ , & factæ , robur , & effectum obtineat plenissimæ firmitatis , jure contrario non obstante . Secus autem facta , - seu obtenta ipso jure sit nulla , & nullius valoris , nisi ipsa privata scriptura foret efficacior , & solemnior quam dictum est .

*De contradictionibus , & defensionibus tenitorum , & pignorum .*

## C A P. VIII.

**C**onsuevit plerumque in acceptioribus tenutarum , & pignorum contradictiones insurgere , quarum obstatculo eorum exequutio minus juridice retardatur . Ideoque sancimus , ut si quando revocaretur indubium , an res in tenutam , & pignus , accepta , commissa , vel data sit ipsius rei conventi , vel alterius siquidem ipsa res penes , vel apud ipsum reum , vel in domo , aut possessione propria ipsius rei fuerit reperta , tunc ipsa repertio , & bajuli , seu exequutoris relatio inducant , & retineant præsumptionem , quæ sit propria ejus in cuius domo , vel possessione fuerit reperta , de cuius bonis accepisse retulerit exequutor . Adeoque contradictiones ipsi pignori , vel tenutæ quantum ad damnum , vel jus ipsum reum , vel in domo , vel in possessione propria ipsius rei conventi res aliqua in tenutam , vel pignus data commissione , vel accepta , fuerit reperta , tunc non obstante relatione exequutoris aliter præsumatur facta esse , non ipsius rei , sed alterius in ejus domo , vel possessione fuerit reperta , nisi per confessionem possessoris , vel detentoris ipsius tenutæ , vel pignoris , aut per aliam probationem , vel æqualem præsumptionem contrarium doceretur , aut etiam per evidentiam , vel alia judicia manifesta . Decernimus insuper quod hujusmodi contradictiones , litigia , vel alia impedimenta , quæ occurserent circa aliquam tenutam , vel pignus , expediantur , & terminentur non solemniter , sed summatim simpliciter dando terminum ad probandum parti , cui de jure incumberet probatio tantum trium dierum in singulis causis , sive quæstionibus summæ xxv. lib. In majoribus vero causis quinque dierum tantum , publicato autem processu talis contradictionis , & probationis ad petitionem actoris dumtaxat duorum dictum ad op-

ponendum, terminus statuatur. Et si in dicto termino trium, vel quinque dierum contradictor in probatione defecerit, ex tunc de cœtero in eadem contradictione, vel super eam nullatenus audiatur, immo pronuncietur, tenutam, & pignus fore legitime datam, sive datum, seu etiam dandum, & dandam in eodem, & de eadem pro concursu debiti, non obstante contradictione jam facta; & regimen ipsam tenutam, & pignus exequi teneatur, & causa, seu pignus, etiam expensi communis, si opus fuerit, defendatur, & defendere, seu defendi facere possit, & debeat. Sed ubi contradictor in dicto termino probandi probationem suam adimpleverit, tunc statim regimen ad petitionem actoris procedat, & procedi faciat ad acceptiōnem, & dationem alterius rei. Volumus etiam quod Judex ipsum principalem reum, vel alium, qui ex injusta causa tenutam, vel pignus, vel eorum exequutionem impediret, vel eum, seu pro quo data, seu assignata, seu datum, sive assignatum fuerit in ipsa tenuita, vel pignore aliqua molestia, vel turbatione afficeret, seu afficerit, poslit, & valeat ad petitionem, & querelam actoris punire, & condemnare usque ad quantitatē C. sol. den. pro quolibet, & qualibet vice, & plus ad ejus arbitriū personarum, & facti qualitate pensata. Facta autem, seu gesta, & expedita per Judicem nostri communis, vel coram eo, ut dictum est, & cautum in præsenti ordinamento valeant, & teneant pleno jure, non obstante alterius solemnitatis defectu, aut jure contrarium disponente. Dum tamen in commissione, & pronunciatione tenutarum, & pignorum suprascripta jura firma perdurent in formis eorum.

*De libelli oblatione.*

C A P. IX.

**O**fferetur ab actore reo citato, vel præsenti in judicio libellus in omni quantitate causa rei, vel speciei extimationis C. sol. denar. vel ab inde supra, quo facto statim detur trium dierum partibus intervenientibus nomine alieno ad legitimandum personas eorum, & legitimatis personis eorum per pronunciationem Judicis, vel absque legitimatione ubi ipsæ partes principaliter intervenerint detur dilatio reo de liberatoria lex dierum ad cedendum, vel contendendum; & ad probandum omnes exceptiones, si quas habet.

Et

SECUNDUS.

Et si in termino comparuerit, & cedendo putaverit confitendum se debere in libello petita, fiat sibi præceptum de solvendo infra quindecim dies si peteretur quantitas, species, vel res mobilis. Si autem peteretur immobilis præcipiatur reo, quod ipsam in continentis actori relasset. Sed ubi ageretur ad factum, fiat ei præceptum faciendi infra terminum à Judice statuendum considerata qualitate, & difficultate ipsius facti. Si vero reus non esset confessus, nec tamen exceptiones opponeret in termino Statuto, tunc ad petitionem actoris cogatur per Judicem ad litem contestandum. Sed ubi cum exceptiōnibus comparuerit, & actor replicare voluerit fiat actori exceptiōnum copia, & terminus detur trium dierum ad replicandum, super ipsis exceptionibus procedatur, ut juris fuerit, deinde super libello litis contestatio fiat. Prædictam quidem in re, vel summa minoris valoris, vel quantitatis C. sol. den. & ubi peteretur exequutio aliqua per formam Statuti positi sub capitulo de exequutione instrumentorum, & de exequutione privatæ scripturæ, & in casibus comprehensis infra de summariis cognitionibus, nec etiam quoties causa peteretur jurejurando decidi per formam Statuti positi infra jurejurando. Per prædicta tamen non denegamus actori, re expresse non contradicente in prima, nec in secunda citatione, facultatem porrigendi suam petitionem verbotenus scribendam per Notarium banche apud actore, quo casu volumus, quod dicta petitio habeatur pro formali, ita quod nihil possit opponi quantum ad solemnitatem, nisi quod ex deductis in ea non resultet aliquod ius ipsi actori sic porrigeni, vel quod sit ita obscura quod ex ea certus intellectus percipi, nec certa summa ferri, jure contrario non obstante, posset.

*De exceptionibus, & replicationibus.*

C A P. X.

**E**xceptionem opponens non aliter admittatur, quam si primo in anima sua specialiter, & rite juraverit ipsa se calumniæ animo non proponere, secus autem, proposita exceptio pro non proposita habeatur, ne autem cavillosa exceptionis, & objectionis, litis processus valeat retardari, volumus quod infrascriptæ tantum exceptiones litis contestationem impedian, & non aliæ videlicet, incompetentis fori, & non legitimæ personæ litis pendentis ineptæ, vel obscu-

obscuræ petitionis, ex qua certus intellectus percipi non posset, nec certam summam ferri. Item exceptio litis finitæ per summam, vel jurandum, aut per transactionem, necnon exceptio solutionis, vel satisfactionis, aut quietationis, & pacti de ulterius non petendo. Item exceptionis, prescriptionis x. annorum per formam nostrorum Statutorum oppositæ ad quas exceptiones, vel alteram eorum probandum ad petitionem adversarii trium dierum terminus statuatur, vel majoris, arbitrio Judicis, ex vera, & rationabili causa, & maxime ubi de extra Terram Montis Sancti, & ejus districtum aliqua expectaretur probatio juxta facti quantitatem, & distantiam. Quibus exceptionibus, vel earum altera in Statuto termino non probatis, statim elapo dicto termino ad petitionem actoris procedatur ad litis contestationem in causa principali, absque omni alia pronunciatione facienda. Exceptionibus autem probatis videlicet incompetenteris fori non legitimæ personæ, litis pendentis, ac ineptæ, & obscuræ petitionis, tunc sine omni alia solemnitate ad petitionem excipientis, præsente, vel citata parte actoris absolvatur reus ab instantia judicii, & actor condemnetur in expensis taxandis. Nec super eadem instantia audiatur ulterius, probatis autem exceptionibus aliis super expressis, vel eorum altera, tunc reus litis contestatione obmissa, & alio ordine prætermisso à tota principali causa per Judicem absolvatur, semper citata parte actoris; quæ quidem in expensis taxandis condemnatur nihilominus; legitimatis autem personis pronunciatione Judicis nulla demum exceptio, vel objectio fiat, vel audiatur contra personas. Aliæ quidem exceptiones quæ hoc Statuto jam expressæ litis ingressum non impediunt, nec valeant retardare immo salve remaneant, potius in processum, & lis super principali causa suo marte decurrat, & lis per sententiam sopiaitur juxta hinc inde proposita, & approbata. Insuper rescamus diffugia, quæ fieri consueverunt per contestationes, & pronunciations exceptionum, replicationum, & deinceps, moderamus expensas, quæ absque speciali contestatione litis per pronunciationem fierent super his procedatur, & possit procedi in causa principali nisi obstaret, ut dictum est. Et dum tamen finalis absolutio, vel condemnatio, ut dictum est, justa sequatur. Item reicimus exceptionem, implacationem, & multitudinem odiosam statuentes, quod partes hinc inde in causis tantum usque ad duplicationes inclusive in scriptis producendas audiantur, & non ultra videlicet pars actoris in libello, & repli-

replicationibus tantum. Reus vero in exceptionibus, & dupplicationibus tantum. De cœtero vero solummodo verbotenus, & non in scriptis contradicentes admittantur, nisi aliqua partium novum aliquid ad effectum rei faciens ulterius niteretur opponere, quo casu præstito Sacramento quod ipsa exceptio de novo ad ejus notitiam pervenerit juxta discretionem Judicis admittatur. Dum tamen in oppositionibus aliis contra testes, vel instrumenta fierent, partes modo simili nihilominus audiantur, & ultra prout, & quoties vilum fuerit judicanti. Probationibus tamen omnibus, & singulis utilibus, & opportunis per omnia salvis secundum formam aliorum nostrorum ordinamentorum, & juris. Opponens autem exceptionem, per quam consanguinitatis, vel affinitatis, & gradus, vel existentia negaretur, aut revocaretur in dubium, vel etiam notariatus alicujus, qui aliquid instrumentum, vel publicam scripturam confecerit, vel negaretur officium, aut jurisdictione alicujus, non aliter audiatur, quam si primo fidejussorē præstiterit idoneum de solvendo condemnationem, & parti suum interesse reficiendo ad omne mandatum Judicis, qui si fuerit reprobatus per solam publicam formam à duobus idoneis testibus affirmantibus famam, & vocem de tale esse consanguinitate, & affinitate, vel de notariatu, dum scriptoris, vel quod sit in possessione officii notariatus, vel quod talis officialis publice reputaretur, vel quod sit in possessione jurisdictionis, aut etiam matrimonii, & filiationis, & similium, statim sine alia solemnitate procedatur in causa, exceptionibus ipsis non obstantibus, ac si propositæ non fuissent. Et nihilominus negans in C. solid. denar. vice qualibet per Judicem condemnetur.

*De litis contestatione.*

C A P. XI.

**A**ctis, quæ dicta sunt, præparatoriis causæ, Judex ad petitionem partis cogat, & cogere possit, & debeat aliam partem ad litem contestandam ubi aliqua nostrorum Statutorum exceptio non obstaret. Et si partium aliqua recusaret litem contestari mandato Judicis, vel contumax esset ipsa specialiter citata ad dandum actum commissione Judicis, vel quia alter recusaverit non contestando, nec volendo contestari, tunc Judex solam partem præsentem faciat contestari,

ri, quæ contestatio pro vera, & legitima, & solemnni habeatur, & reputetur non minus, quam sua parte quamlibet facta esset non obstante contumacia, vel contradictione alterius partis. Dum tamen capita solidos in ipsa contestatione, vel ante semper soluta extiterint Camerario Comunis. Denique procedatur ad actus alios opportunos, ut juris est. Addimus praesenti lege quod si reus ablato contra eum libello, & non opposita per eum exceptione de jure impediente litis contestatione praesens, & monitus a Judice litem contestari recusaverit condemnetur ad petita in dicto libello contenta. Actore autem praesente contestari litem recusante reus petens absolvatur ab his, quæ fuerint in dicto libello petita.

*De Sportulis, sive Capitibus solidorum.*

CAP. XII.

**I**N quacumque causa civili ordinaria, & extraordinaria qualitercumque procedatur in ea, sportula, sive capita sol. servantur sex denar. à qualibet parte etiam ubi non quantitas, & res, species, aut factum peteretur, vel lesset in causa, quo casu fiat exequutio capitum sol. ut dictum est per libr. iuxta extimationem, & declarationem valoris, quam fecerit actor suo Sacramento apud acta. Quæ exportularum solutio in causis ordinariis contestationem exigentibus fiat, & fieri debeat tempore litis contestationis, vel quasi. In extraordinariis vero communis tempore dilationis dandæ partibus ad probandum, & his, quæ deciderentur per iusjurandum, fiat sportularum solutio tempore responsionis, quæ fieret per reum ad petitionem agentis in judicio, vel tempore Sacramenti, sive juramenti quando etiam ipsa causa dicendi peteretur, vel decidenda veniret; ubi autem peteretur, vel fieret exequutio instrumenti, pracepti, laudi, & arbitrii ultimæ voluntatis, vel etiam privatæ scripturæ, tunc simili modo solventur capita sol. tempore pronunciationis quæ fieret per Judicem instrumentum, seu scripturam fere exequutioni mandandum, vel non. Et ne fraus aliqua in hac parte committi possit, teneatur Judex quilibet de causa cognoscens in omni exequutione, instrumenti, vel scripturam prædictarum elapsis dilationibus opponendi, & probandi contra

tra ipsum instrumentum, vel scripturam expresse pronunciare, ipsum instrumentum, vel scripturam esse exequutioni mandandum, vel non. Quam pronunciationem ommittere non possit, & si omnittat processus, non valeat ullo modo. Et idem in exceptione qualibet observetur videlicet quod capita sol. solvantur, ut dictum est. Dum tamen in una, & eadem causa, & de eadem re, vel quantitate in judicium deducta non amplius, quam semel capita sol. sive sportulæ solvantur, ita quod in exequutione, & pronunciatione exequutione summæ, vel pracepti super re, vel quantitate, de qua in ordinario judicio, vel principali processu, aut causa fuissent capita solidorum semel soluta, non amplius solvantur, vel exigantur. Sed si contigerit, alteram partium esse absentem, vel contumacem, tunc pars praesens, & procedere volens, seu procedens in causa, teneatur, & debeat capita sol. tota, & integraliter solvere tempore pronunciationis contumaciæ tenutæ, vel exequutionis tam pro se, quam pro altera parte. Habeat tamen regressum contra partem adversam absentem siquidem ipsa pars verit in eam, & idem observetur, & fiat quoties altera partium tempore solvendarum capita solidorum esset absens, quia tunc pars praesens, ut dictum est solvere teneatur. Quæ quidem sportularum solutiones fiant, & fieri debeant supradictis temporibus ita quod ea die reperiantur ipsa capita sol. scripta, & posita ad introitum Camerarii Comunis alioquin actus eo die factus pro parte ejus, qui ut dictum est non solverit, vel ad ejus petitionem non valeat ipso jure, & super causa non audiatur ulterius, nisi prius alteri parti satisficerit de expensis omnibus, & comuni integraliter solverit capita sol. A prædictis sportularum solutionibus excipiuntur causæ singulæ alimentorum, mercedis operum diurnorum, salarii Advocatorum, & Procuratorum, ac Medicorum. Item causæ miserabilium personarum, legatorum ad piæ causas, causæ parvæ quantitatis, vel rei videlicet à xx. sol. vel infra, in quibus causis capita sol. solvi non debeant. Nec etiam in causis solutionum Notariorum salarii, & scripturarum, & in aliis causis summariis expeditis, seu expediendis secundum formam Statuti positi infra sub capitulo de summiis cognitionibus.

*De precepto factō in volentē ad invitum ad petitionem alicujus.*

## C A P. XIII.

**S**i quis convictus fuerit pro quacumque quantitate, vel specie, aut se confessus fuerit se debere rem, vel quantitatē petitam, fiat sibi præceptum de solvendo, vel restituendo rem, vel quantitatē petitam infra quindecim dies, si res, vel quantitas excederet extimationem C. solid. Addita vero quantitate infra usque in x. dies in volentem, & confessum, possit terminus prorogari, & minui, & pœna imponi, & valeat, & teneat; contra ipsum præceptum nulla exceptio possit opponi, nisi solutionis vel falsi, aut præscriptionis decursæ post ipsum præceptum factum ex die facti præcepti; immo ut scriptum est, & factum debeat exequutioni mandari non obstante in hoc casu contrario Statuto inserto supra sub capitulo de exequutione instrumentorum. Involentem autem, & invitum pœna non imponatur præcepto, nisi ad poenam solvere promississet, & si imponeretur, ipsa pœna sit nulla salvo manente præcepto, quo ad instantiam Judicii, & debiti, & hoc locum habeat in principali præcepto, quod fieret in Judicio primæ causæ. Ubi autem pro exequutione alicujus præcepti præcedentis, vel pro alia causa exequutionis per regimen fieret alicui præceptum quod non discederet de Palatio quam quod aliquid daret, vel faceret ad petitionem alicujus sub certa pœna, quæ veniret se ad constringendum ad stangam, & de his non appareat publicum præceptum manu Notarii de Monte Sancto legaliter confessum, tunc præceptum hujusmodi etiam cum pœna fieri possit, & factum valeat, & teneat. Adeoque ipsum præceptum spernens, vel contendens possit à parte cujus interesset accusari, & accusatus puniri pœna in præcepto contenta. Et de hac tamen accusatione, & inobedientia possit pax fieri inter partes, qua pace facta infra quindecim dies à die accusationis, & producta in publicam formam regimen possit ipsam delinguentem, seu inobedientem condemnare, vel punire nisi in quarta parte in præcepto prædicto apposita.

De

*De summarīis Extraordinariis cognitionibus.*

## C A P. XIV.

**S**uper alimentorum causis, Legatorum, Salariatorum, Advocatorum, & Procuratorum, Medicorum, & Operariorum, Diurnorum, & Magistrorum liberalium artium, necnon vegetum canarium, torcularium, vindemmiæ, barrilium vindemmiæ, fossarum à blado, & similiū instrumentorum, & eorum pertinentium ad expeditionem mensium, & vindemiarum, pensionum, & disgombrationis domorum locatarum, & conductarum inter dominum, & inquilinum, & laboritii inter dominum, & laboratorem, sive colonum damni infecti, & hujusmodi causis celeritatem desiderantibus, & in causis salariorum, Notariorum, & scripturarum, ac etiam in causis, & quæstionibus rei, vel quantitatis minoris extimationis, & summa C. solid. denar. procedatur, & cognoscatur per nostrum regimen ad petitionem agentis summariae, & de plane sine strepitu, & figura judicii. Juriſ ordine, & solemnitatibus prætermis. Et hujusmodi causæ terminentur, & exequutioni mandentur rectoris arbitrio omni tempore non obstantibus quibuscumque ferriis in utilitatem, & commoditatem hominum introductis, dum tamen de meritis causæ, & veritatæ facti constiterit secundum formam nostrorum Statutorum, & ordinamentorum; processus autem dictis modis, & temporibus facti, acti, seu expediti, valeant, teneant, & firmi sint, & nullari, vel tolli non possint ratione admissi ordinis, vel solemnitatis prætermissa, aut ratione feriarum prædictarum.

*De dilationibus.*

## C A P. XV.

**M**ateria probationum arctari non debeat, nec litium meta superfluis dilationibus ampliari. Unde in singulis causis in quibus libellus offertur contestatio exigitur facienda, qmnes dilationes dandæ continuæ sint præterquam si ultima dies termini caderet in diem feriatam, quo casu intelligatur, & sit prorogata in diem proxime

I.

xime sequentem non feriatam . Litisque contestatione facta , vel quasi , detur octo dierum terminus ad probandum pro prima , & secunda dilatione , in quo termino sint saltim quatuor dies juridici , quibus poterit Judex pro tribunali sedere , de quibus stetur Judicio ipsius Judicis , & si dicti quatuor dies Juridici non interfuerint , tunc ipso jure sint , & intelligantur suppleti , qua dilatione decursa ad petitionem cuiuscumque petentis absque solemnitate statuatur tertia dilatio quinque dierum partibus ad probandum , inter quos sint saltim tres dies , quibus sedere poterit Judex , de quibus modo simili stetur judicio judicantis . Quæ tertia dilatio sit , & esse intelligatur ultima , & perentoria , in qua si non interfuerint dicti tres dies , tunc eodem modo intelligantur ipso jure suppleti . Qua decursa , nulla partium audiatur etiam impedimentum , sive impedimenta allegans , sed potius infra ipsam quælibet pars de suo jure teneatur probare . Recepis vero testibus , & productis infra dilationes præfatas , qui non dum deposuerint dicta sua , detur insuper terminus parti , quæ produxerit trium dierum ad faciendum deponi , & habendum probatum , quo termino elapso Judex teneatur publicare , & aperire processum , ut moris est statuendo terminum suo arbitrio ad accipendum copiam , & opponendum , tam contra processum , quam contra personas , & dicta ad producendum in causa jura , & instrumenta , quæ volunt , dummodo dilatio temporis non excedat octo dierum . Dilationes vero aliæ , & termini , qui , & quæ requiruntur , & emergunt in causis de quibus specialis , vel firma mentio non habeatur , sive arbitrio , & promoto , & arbitrio Judicis moderandæ . Examinata vero causa , & meritis ejus cum in ea viderit Judex concludendum maxime ad petitionem alicujus partis , statuat terminum ad allegandum . Qua dilatione de causa pro concluso in causa modis omnibus habeatur ; & demum ad petitionem partis petentis causam sine debito termino festinet infra octo dies à dicto termino conclusionis præfatae . Et verum ne causæ brevitate periclitantur , quæ plerumque de longinquo probationes exquirunt , ne in quibus , ne foret malitia , vel negligentia partibus imputanda , non obstantibus limitatibus dilationibus supradictis , omnes , & singulæ dilationes , & quibus causarum termini consistent in arbitrio judicantis moderando , & prorogando , seu etiam de novo statuendo ex rationabili , & vera causa secundum qualitatem causarum juxta ea , quæ in causa contingentes .

De

De feriis.

## C A P. XVI.

**F**estos , & Dominicales dies decet jugiter celebrari . Ideoque Dominicis diebus : Festivitatibus : Sanctæ Mariæ Virginis , Nativitatis Domini cum septem diebus sequentibus : Epiphaniæ : Circumcisionis : Festis Apostolorum , Evangelistarum , & quatuor Doctorum Ecclesiæ : S. Stephani Prothomartyris , S. Mariæ Magdalenæ , S. Giri , S. Angeli , Resurrectionis Dominicæ cum septem præcedentibus , & septem sequentibus , Ascensionis Domini cum tribus diebus Rogationum præcedentibus , Pentecosten Paschalibus cum duobus sequentibus : festivitatibus Omniū Sanctorū , S. Martini , S. Laurentii , S. Francisci , S. Catherine Virginis , S. Lucia , S. Margaritæ , & quinta feria post octavam Pentecosten , S. Antonii Abbatis , & Omnia Sanctorum , & Sanctorum Dei , sub quorum vocabulo Ecclesiæ sunt ædificatae in Monte Sancto . Omnibus diebus Veneris totius anni civilia jura redi prohibemus in civilibus causis . Nec ipsis diebus Judex ad banchum pro Tribunalí sedere teneatur , nec sui audientiam exhibere in causis civilibus , quæ forent violentæ jurisdictionis . In maleficiis autem , & delictis , vel quasi , necnon in his , quæ voluntarie jurisdictiones esse noscuntur , jura reddantur , & ipsæ causæ expediantur , & agitari valeant quibuscumque diebus . Item exequitiones , & sequestrationes , & captiones , atque detentiones reorum , necnon suspectorum dilatorum quorumcumque tempore fieri possint , & debeant , ac etiam in omnibus , quæ celerationem desiderant in quibus mora esset periculum ablatura , de quo plane , & summarie expediri decet regimen teneatur , non obstantibus dictis feriis , vel aliis , & sui copiam , & audientiam exhibere . Feriæ autem , quæ ob utilitatem humanam consueverunt induci videbilec , messium vindemiarum , semper opportunis temporibus secundum voluntatem , sive deliberationem concilii generalis per nostrum regimen inducantur , & obseruentur . Omnes tamen dilationes , & termini causarum , quibus dictis messium vindemiarum feriis , & aliis repentinis , quæ per dictum concilium , ex aliqua rationabili , & evidenti causa inducerentur , vel fierent , procedi non posset ipso jure vigore præsentis ordinamenti durantibus feriis interim non spirent , sed firmæ sint , & durent in eo statu , & condicio-

dictione, in quo, & quam invenirentur, & essent tempore condemnationis feriarum. Elapsis autem, & finitis feriis, illico dilations, & termini suo marte decurrant continuatis moris, nec tempore ante ferias cum post ante ipsas dilations, & termini subsequantur. Item quod omnes, & singulas Veneris ferias esse volumus feriatus, & in eis, vel in aliquo ipsorum dicta jura civilia ordinaria super prohibita aliquatenus non reddantur, ut talibus diebus concinna, & servitia communis possint merito explicari.

*De Teste citato ad testimonium perhibendum.*

### C A P. XVII.

**T**estis citatus secundum formam Statuti, & non comparens in termino ad petitionem ejus, qui citari fecerit, puniatur de facto in quinque solid. denar. & nihilominus cogatur per regimen opportunis remediis, tam pignorationibus, quam cogationibus, & poenarum novarum impotitionibus præcise ad comparendum, jurandum, & testimonium perhibendum, salvo si justam, & evidentem causam impedimenti, vel excusationis haberet, quæ constiterit Judici, quo casu durante impedimento, & causa prædicta, non cogatur, nec puniatur, & eodem casu non currat tempus parti per ipsum testem probare volenti. Alioquin parti præjudicet, & præjudicare possit, & debeat, nisi sollicite processerit, & procedi fecerit contra ipsum testem ad pignorationem, & alia gravamina, & protestationem fecerit evidenter in actis per se non obstat, & nisi supersedeatur, vel tempus prorogaretur, & partium voluntate.

*De iurejurando.*

### C A P. XVIII.

**M**aximum remedium litium dirimendarum esse noscitur jusjudicandum; quare quoies creditor, seu actor contra suum adversarium, seu conventum proposuerit, etiam simpliciter, & verbottenus; dum tamen non obscure, nec confuse: sed clare ita quod propositis, intellectus, & conclusio sequatur, sibi per ipsum conventum aliquid debere dari, vel fieri cujuscumque quantitatis rei, vel

vel speciei, & se paratum esse de veritate ejus, quod proposuerit, vel petierit, stare, & credere Sacramento ipsius conventi, seu adversarii. Siquidem ipse conventus ex proprio facto, vel obligatione conveniretur, teneatur, & debeat tale juramentum corporaliter prestatre, & ejus vinculo respondere de veritate ejus, quod proponeretur, vel peteretur contra eum, aut ipsum Sacramentum adversario actori referre in judicio statim, & incontinenti: nisi maluerit, & petierit tempus, seu terminum ad deliberandum super prædictis: quo casu si petierit, detur ei tenor petitionis, & natura rationis in scriptis, & nihilominus statuatur ei per Judicem terminum trium dierum ad deliberandum super talibus an, & qualiter vera sint, & ad respondentum ad proposita, & petita confitenda, vel neganda, vel saltim referendo ipsum Sacramentum actori, quo casu actor, cui relatum esset, ipse teneatur jurare, quod ea, quæ petiit, & proposuit, non animo caluniae dixit, vel proposuit, & si vera sunt, vel ne, in totum, vel in partem, & an sibi satisfactum sit, de toto, vel de parte. Sed siquidem reus conventus, suo juramento prædicto negaverit se debere, vel vera esse proposita, & petita contra eum: & demum infra terminum non majorem quinque dierum statuendum à Judice ad reprobandum fuerit legitima probatione commissum, & de praefito Sacramento reprobatus, ipso facto puniatur per regimen in xxv. lib. den. solvendis Comuni, & creditori in duplo quantitatis, vel extimationis rei petitæ, ex ipsis civilibus actis sine alio processu. Si vero ante, non reus juraverit, sed actor, & ipse actor convictus, & reprobatus fuerit legitima probatione per adversarium, quæ de toto, vel de parte majori, vel minori dimidia ejus, quod petierit, vel proposuerit, fuerit solutum, vel quod per alium modum ab ipso actori sciente, tunc ipso facto actor simili modo ex ipsis actis civilibus sine alio processu in xxv. lib. den. puniatur Comuni, & parti in dupplum quantitatis, vel extimationis rei per ipsum actorem Sacramento. Quæ reprobationes, & poenæ locum habeant quando à parte tempore dati, vel relati Sacramenti expresse reservatum fuerit beneficium reprobandi, alioquin dictæ reprobationes, & poenæ fieri, vel imponi non debeant, nec possint: sed potius universa causa intelligatur in ipsa per Sacramentum responsione decisa, & in totum sopita. In prædictis autem reus jurare, & per Sacramentum respondere, aut ipsum Sacramentum reficere in dicto termino quinque dierum reculaverit, vel omissiverit, tunc statim ipso transcurso termino ipso

## LIBER

ipso jure, & facto reus intelligatur, præsumatur, & habeatur pro vero confessio, & convicto, & tamquam vere confessus, & convictus ad proposita, & petita actori dare, seu facere teneatur, & nihilominus expensas reficere taxandas à Judice. Si autem actor relatu sibi à reo juramentum sibi prædictum ad petitionem partis, & mandatum Judicis præstate in judicio recusaverit, vel ommiserit, tunc ipse actor simili modo pro confessio, & convicto habeatur, & reputetur, & non amplius audiatur, immo reus absolutus reddatur per Judicem, & ei actor expensas juxta taxationem Judicis resarcire cogatur. Propterea quia quamplurimi faciunt lites procelare, & causarum brevitate occultare conantur, non comparendo ad jurandum, & recusando jurare super positionibus contra eum in judicio per adversarium formati, ideo quoties aliquis major xxv. annorum sanæ mentis fuerit oretenus, & personaliter monitus, vel habuerit in mandatis à Judice qui non recedat de palatio, vel loco, ubi Judex sedet, quin juret, & juramentum credulitatis præstet super positione adversarii sui contra eum formata, & ipse talis monitus, vel qui in mandatis haberet, recusaverit, vel ommiserit juramentum præstare, & ejus vinculo respondere, ubi de jure respondentum foret ipso jure, & facto habeatur, & reputetur vere confessus, & convictus super eo quod in ipsa petitione, qui respondere ommiserit continetur. Et nihilominus si Judici videbitur equum, possit, & debeat præcise compelli ad jurandum, & respondentum super ipsa petitione. Item in quibuscumque causis in quibus qualiter juramentum calumniæ præstitum non fuisset, possit, & teneatur quælibet partium in omni actu termini, vel dilationis, qui, vel quæ peteretur, & petitio nis, quæ fieret, vel produceretur, necnon exceptionis, replicatio nis, & deinceps ad petitionem adversarii, & etiam pro motu Judicis quoties ei visum fuerit remedii prætoriis opportunis compelli ad jurandum de calumniâ videlicet quod non animo calumniæ non petat, nec agat. Et qui monitus à Judice præstare talæ calumniæ juramentum recusaverit, & actum illum, quem facere voluerit super quo jurare ommiserit, minime admittatur, vel audiatur. A proxime dicto calumniæ juramento excipiuntur parentes causantes cum liberis, patronicum pactualibus, seu famulis, maritus cum uxore, & his similes, qui etiam absque tali Sacramento admittantur, & audiuntur, nisi Judici minoris causam justa eis favere videretur, quo casu etiam ipsi jurare sicut alii teneantur.

De

## SECUNDUS.

*De præscriptionibus.*

## C A P. XIX.

**Q**uoniam vigilantibus, & non dormientibus jura subveniunt, siccirco habens aliquam partem obligatam ad quacumque pecuniae quantitatem, rem, vel speciem, vel habens jus in aliqua re mobili, vel immobili contra aliquem possidentem, debet suis actionibus experiri jura sibi ex quacumque causa competentia, & quacumque ratione in judicium deducere, & non tacere spatio diuturno, qui si non fecerit, & in judicium non deduxerit, sed tacuerit per x. annorum ultra ipsum tempus x. annorum ab omni actione reali, & personali, & mixta, sive in civili, sive in criminali, ex quacumque quantitate, vel re sibi competenti, cadat, & ipso jure privetur, & cecidisse, ac privatus esse intelligatur, & præscriptio hujus temporis x. annorum in qualibet parte judicii sibi obstat, & omnis actus omneque jus quod haberet, & habuisset dicti temporis x. annorum cursu ab ipsa re, & facto, sublatum cassum, & vanum intelligatur, habeatur, & præsumatur, nisi infra dictum temporis spatium x. annorum hujusmodi præscriptio esset, & fuisset legitime interrupta, vel nisi essent tales personæ, quibus defectu etatis, vel propter ipsarum inhabilitatem præscriptio non curreret ipso jure, vel quæ agere, & experiri, aut judicio interesse non possent. Vel etiam personæ quibus de jure foret integrum restitutio tribuenda ex quacumque causa legitima, quæ quidem personæ à dicta prescriptione, & ejus præjudicio, & dicto temporis cursu serventur, & permaneant in earum actionibus, & juribus ipso jure illesæ. Quod quidem Statutum, & ordinamentum habeat locum inter Christianos, qui non essent feneratores, vel publici usurarii, tam in præsentibus, quam in præteritis, & futuris, non obstantibus quibuscumque aliis Statutis, & ordinamentis factis, & faciendis, aut pactis in contrarium venientibus, quibus, & singulis cum his, quæ sequerentur ab eis præsens nostra lex sit derogatoria, & de jure prævalida. Judeis autem, & quibuslibet Christianis etiam jurariis obstat præscriptio v. annorum adeoque per decursum quinquennii ipso jure, & facto cadant, & cecidisse intelligantur ab omni actione personali, & reali, & mixta, tam civili, quam criminali, ex quacumque causa, vel actione.

actione competenti, vel competitura, nisi talis præscriptio fuerit simil modo legitime interrupta. Quæ quinquennii præscriptio obstet, & obstare possit, & debeat in quacumque parte judicii, & etiam in exequitione, & locum habeat in præteritis præsentibus, & futuris, lege, vel constitutione contraria, vel diversa non obstantibus, nec obstantibus pactis, obligationibus, vel promissionibus in contrarium factis, vel fiendis, quibus expresse per hanc legem derogatur. Et hoc Statutum sit truncum, præcimum, & immutabile, nec tolli, suspendi, aut cassari possit. Additum est, quod si quis Christianus non usurarius aliquam proprietatem, vel possessionem habuerit, tenuerit, & possederit inter se, & suos actores pacifice, & quiete dicto spatio x. annorum, vel ultra, contra quem ipsius rei, vel possessionis non esset legitime temporis præscriptio interrupta, vel ejus adversario præscriptio inrefragabiliter recurrisset, & ipsam possessionem similiter haberet, teneret, & possideret, eamque in apretio suo positam, & descriptam in catastro Comutis haberet solvendo debitas collectas in Comuni ipsam possessionem possit, & valeat pacifice, & quiete habere, tenere, & possidere pleno jure, adeoquod actione à Comuni, neque à specialibus personis nequaquam valeat molestari. Usurariis autem Christianis, vel Judeis cujuscumque conditionis hoc Statutum patrocinari nolumus ullo modo, sed contra eos potius valeat, & teneat pleno jure.

*De Solutionibus, & Liberationibus.*

C A P. XX.

**S**olutionibus, & solutione ejus, quod debetur, omnis tollatur obligatio; verum plerumque etiam obligatione sublata, nonnulli rapaces, & calumniosi homines liberatos debitores eorum conantur litibus festinare, ac infamare de mole debiti satisfacti. Adeoque iniquitati taliter obviantes, hac perpetua lege firmamus, quod quoties aliqua persona nostræ jurisdictionis comparuerit coram nostro regimine, & petierit sibi à quocumque Judeo, vel etiam Christiano finem, & quietationem fieri generaliter de omni eo, quod sibi petere, vel dicere, & contra cum agere, vel procedere posset, usque in diem, & horam ipsius petitionis ex quacumque ratione, vel causa, semper regimen, audita dicta petitione, præiente, vel vocata, seu citata

citata parte, contra quam talis petitio fieret, teneatur, possit, & debeat ad petitionem talis petitionis dictam personam contra quam peteretur, realiter, & personaliter, & quibuscumque opportunis remedii præcise compellere, cogere, & constringere ad liberandum, & solvendum dictam partem petentem secundum formam suæ petitionis, & eidem faciendum finem, quietationem, & remissionem, & pactum: de eisdem faciendum cum omnibus opportunis clausulis consuetis in instrumentis finis, & quietationis, & ipsa talis persona contra quam peteretur, teneatur, & debeat vigore præsentis legis prædicta omnia, & singula facere, & adimplere, nisi per legitimū comparuerit, & respondendo dixerit aliquam quantitatē rem, speciem, vel aliquid aliud sibi deberi ab ipsa adversa parte liberacionem, & quietationem petente, quo casu regimen ipsi tali creditori statim præfigat, & assignet terminum, & dilationem quindecim dierum immediate sequentium ad petendum, & dicendum, monstrandum, & probandum, quicquid à præfato debitore recipere deberet, vel consequi, aut petere posset legitime, in quo termino, vel infra eum siquidem talis creditor non petierit, monstraverit, vel probaverit aliquid sibi legitime deberi, dari, vel fieri à dicto adversario, vel aliquid ab ipso debere recipere, tunc simili modo teneatur eidem finem, & quietationem, remissionem, & liberacionem facere pleno jure, & regimen ut dictum est, præcise ad faciendum, eundem compellat, & cogat. Si vero in dicta dilatione aliquid sibi deberi ab adversario, vel adversarium sibi in aliquo obligatum fore legitime, tunc ipsis debito, & obligatione in suo labore remanentibus, cogatur, & compellatur, & cogi, & compelli possit talis creditor ad petitionem sui debitoris eodem modo per regimen ad liberandum, absolvendumque dictum talem debitorem, seu adversarium, & eidem finem, & quietationem similiter faciendum generalem de omnibus, & singulis, & aliis quibuscumque debitibus, & obligationibus, atque causis, quæ, seu quas dicere, & petere posset, usque in ipsam diem, & horam. Præter debita, & obligationes, de quibus in dicto termino facta fuerit fides, ita quod ipsa obligatio, & debita, quibus etiam legitima fides facta in dicta quietatione in liberatione facta non obstante. In quibus exceptuatis casibus, & quolibet ipsorum hoc Statutum nullum sibi vendicet locum. In aliis casibus præmissis omnibus, & singulis sit firmum, præcimum, ultimum, & immutabile; pactis, promissionibus, obligationibus, refor-